quintum, quintus deniq. primum ad rectos angulos: reliquę verò sectiones omnes ad angulos obliquos fient.

Exempli gratia: Meridianus regionis D B, secat horizontem B E in puncto B. Horizon B E secat circulum E C, qui solem ambit (id est, qui circa solem tanquam polum ducitur) in puncto E. Circulus E C, qui solem ambit, secat meridianum solis C F in puncto C. Meridianus solis C F æquatorem F D in puncto F: & tandem æquator F D secat meridianum regionis D B in puncto D. Et omnes hæ quinque sectiones in punctis. B. E. C. F. D orthogonaliter & ad rectos angulos fiunt: factis cæteris sectionibus in punctis Z. P. S. O. Q. ad angulos obliquos. Fientque ex his sectionibus rectangula quinq. P B S, S F O, O E Q, Q D Z, & Z C P, quorum quamvis partes naturales differāt, & in singulis triangulis varientur, circulares tamē quinque partes eædem sunt, quæ supra, absque ullo discrimine.



5. *Eadem circularium partiū uniformitas, patet etiam in quadrantalibus non rectangulis, factis in superficie globi ex quinq. punctis, quorū primus distet a secundo, secundus à tertio, tertius à quarto, quartus á quinto, & quintus à primo distantiis & arcubus æqualibus quadranti, aliæ verò punctorum distantiæ inæquales sint quadranti.*

Vt in eodem præcedente schemate pūcta, P à Q, Q ab S, S ab Z, Z ab O, atque O à P, distant spatiis quadranti æqualib⁹: at verò P ab Z, Z à Q, Q ab O, O ab S, & S à P, distant ab invicem arcubus non quadrantibus. Et fient ex his distantiis quadrātalia non rectangula quinque, P Z Q, Z Q O, Q O S, O S P, & S P Z: quorū quamvis naturales partes differant: partes tamen circulares eædem & immutabiles hîc permanent, quæ supra. Scilicet, elevatio poli, differentia ascensionalis, declinatio solis, angulus positionis solis, & plaga solis: quæ omnibus superioribus trian-

triangulis ex æquo conveniunt, nec his duntaxat solis, verumetiam omnibus triangulis quæ oriuntur ex intersectionibus cæteris horum decem arcuum ad integros circulos productorum: quæ, quia plurima & confusa sunt, missa hic facimus. Hac epitome satis est monuisse omnem confusionem naturalium partium, & suarum regularum, his paucis circularibus partibus & sua regula unica evitari, ac tolli.

6. *Quinque circularium partium, tres semper in quæstionem cadunt, quarum duę dantur, tertia quæritur.*

7. *Atque harum trium una est intermedia, & duæ sunt extremæ, quæ scilicet intermediæ aut circumponuntur, aut opponuntur.*

Verbi gratia, Sint partes tres in quæstione propositæ hæ, plaga solis, elevatio poli, & differentia ascensionalis: quarum, elevatio poli pars intermedia dicitur, & reliquæ duæ extremæ ei vicinæ, aut circumpositæ vocantur. verùm si tres partes in quæstionem cadētes forent, declinatio solis, elevatio poli, & angulus positionis solis, vocabitur (ut prius) elevatio poli intermedia: sed declinatio solis, & angulus positionis solis, extremæ à media remotæ, seu ei oppositæ dicentur. par ratio est in reliquis quinque.

8. *Logarithmus intermediæ æquatur differentialibus circumpositarū extremarū, seu antilogarithmis oppositarū extremarū.*

Hoc theorema probatur inductione omnium trium partium seu triplicitatum, quæ ex quinque circularibus partibus quadrantalis prioris B P S rectanguli, constitui possunt, & in quæstionem cadere. posterioris autem non rectanguli P Z S triplicitates omittimus, quia ejus omnes partes circulares (ex 18, & 19, & 20 præmissis) eædē prorsus sunt quantitate, quæ prioris. Quinque ergò partiū circularium rectanguli B P S, (quæ sunt B S, seu plaga solis orientis: complementum B S P, seu angulus positionis solis: complementū S P, seu declinatio solis: complementum S P B, seu differentia ascensionalis: & P B, seu elevatio poli) tres illæ quæ in quæstionem extremarū circumpositarum cadunt, sunt aut primò B S, complem. B S p, & compl. S p: aut secundò compl. B S P, compl. S P, & compl. S P B: aut